



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

2. Nostra sententia proponitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

in duos conceptus adæquate distinctos, sed solum in conceptus distinctos per maiorem, & minorem expressionem.

- 60 Ad confirmationem concede totam illam. Et ad argumentum inde deductum nega antecedens, ut amplius constabit ex dicendis *quæstione sequenti*.



QVÆSTIO VIII.

Quomodo contrahatur ens ad sua inferiora.

SECTIO I.

Sententie Adversariorum proponuntur.

- 1 **P** R I M A sententia asserit ens contrahi ad sua inferiora per negationem formalem additam supra ens, ita ut ipsam negationem non transcendat ens. Sic Sozinas. 4. *Metaphysica*, quæst. 1. ad 2. & quæst. 19. ad 7. Et lib. 5. q. 14.

- 2 Probatur sic primo, ens contrahitur ad substantiam propria contractione: ergo debet addere supra ens substantia aliquid, quod non sit ens: sed sola negatio non est ens: ergo per solam negationem additam contrahitur ens ad substantiam.

- 3 Secundo, quia per illud contrahitur ens ad substantiam, per quod distinguitur substantia ab accidentem; sed substantia distinguitur solum per negationem inaleitatis: ergo contrahitur, &c.

- 4 Secunda sententia est Patris Suarez in *metaphysica* tom. 1. ubi asserit, contractionem entis fieri per meram, & solam maiorem expressionem entis sine aliqua additione; neque ex parte unius, neque ex parte alterius. Hæc opinio maxime plausibilis est in hoc tempore apud Neotheticos.

- 5 Probatur sic primo, quod hic modus sit possibilis, exemplis: nam cum dividimus quantitatem in bicubitam, vel tricubitam, &c. non potest intelligi quod conceptus bicubitæ quantitatis resolvatur in conceptum quantitatis, & bicubitæ; quia impossibile est, quod concipiatur bicubitum non concepta quantitate. Signum ergo est, illos duos conceptus solum distingui sicut expressum, & consulum. Idem fere est in conceptu caloris ut octo, cuius signum etiam est quod conceptus communis caloris non solum includitur in toto calore ut octo, sed etiam in singulis gradibus eius. Cum ergo dicitur calor ut octo, non additur modus distinctus faciens compositionem cum calore ut sic, sed exprimitur, & concipitur calor prout est in re.

- 6 Si autem hic modus possibilis est, quod in præfenti sufficiat, sic suaderi potest. Primo, quia hoc modo expeditur facile difficultas sæpe in superioribus inculcata, & explicatur quomodo ens possit dicere conceptum præcisum secundum rationem, & nihilominus determinatur ad inferiora, & intine includitur in omnibus absque processu in infinitum.

- 7 Secundo, quia hoc modo salvatur optime quomodo suprema genera dicant conceptus simpliciter simplices, & nihilominus possit ab eis ab-

strahi conceptus entis per solam præcisionem intellectus.

Tandem, contra hanc sententiam sic explicata nulla occurrit difficultas alicuius momenti, ut ex solutione argumentorum patebit.

SECTIO II.

Nostri sententia proponitur.

P R I M A conclusio: sententia Sonzinatis est falsa, & probatur sic primo. Quia omnia particularia entia quidditative distincta, ad quæ contrahitur ens, habent sua propria constitutiva essentialia, per quæ ad invicem essentialiter differunt, & per quæ contrahunt rationem entis; sed hæc constitutiva propria non sunt negationes: ergo ens non contrahitur ad illa per negationes. Maior est evidens, quia nihil aliud est constitutum proprium intrinsecum alicuius inferioris, nisi ratio illa; per quam ad illud constituendum contrahitur ratio communis intrinsece, ita ut per eandem rationem contrahatur ens ad esse particularis essentialis, & talis essentia constituta distinguitur, & differat à quolibet alio essentialiter, quod non fuerit eiusdem essentialis cum ipso, v. g. proprium constitutum essentialis hominis est rationale, quod est ratio contrahens communem conceptum animalis, media qua contractionem vniatur ratio communis animalis cum tali rationali, & constituitur homo distinctus essentialiter ab equo, cuius differentia est ipsum rationale, media qua distinguitur essentialiter ab equo, & à cæteris quæ non sunt eiusdem speciei cum ipso. Item constitutum proprium Dei est ratio independentiæ, per quam contrahitur ens ut sic ad constituendum Deum, media qua distinguitur ab omni ente creato: ergo omnia particularia entia habent sua propria constitutiva essentialia, per quæ contrahitur ens ad illa, & per quæ ipsa distinguuntur ab alijs essentialiter.

Minor præcipua sic probatur. Primo à posteriori, quia omnia entia particularia habent proprietates, passionem, & attributa, quibus exornantur talia entia, & oriuntur à constitutivis proprijs essentialibus talium entium particularium, v. g. Deus habet infinitam scientiam, metem, & mixtum dominium universale in omnes creaturas. Item Angelus habet perfectissimum intellectum, scientiam comprehensivam rerum inferiorum, voluntatem excellentissimam, virtutem motivam efficacissimam; homo habet visibilitatem, admirabilitatem, capacitatem disciplinæ, &c. Quæ omnes perfectiones sunt proprietates illorum entium, quæ oriuntur, vel quasi profluunt non à ratione communi illorum, per quam conveniunt cum alijs essentialiter distinctis ab ipsis; sed potius à rationibus particularibus, & proprijs earum, per quas differunt ab alijs, & differentia ipsarum appellantur, sed hæc proprietates non sunt negationes, sed positivæ formalitates: ergo differentia illæ, à quibus profluunt, & constitutiva essentialia propria entium particularium, à quibus dimanant, vel quasi dimanant, debent esse positivæ, & non negationes. Maior est certissima, quia si proprietates orirentur, vel quasi dimanarent, à rationibus communibus, & non à proprijs constitutivis differentialibus particularis

Quaest. VIII. Quomodo contrahatur, &c. 187

particularis entis, tales formalitates neque essent proprietates, nec deberent appellari attributa propria, & passiones illorum, sed potius communia praedicata, quia necessario deberent convenire omnibus, quibus convenirent praedicata illa communia, à quibus profluunt tales proprietates, v. g. risibilitas non est propria passio Petri, quatenus distinguitur à Ioanne, sed potius est commune praedicatum respectu Ioannis, & Petri, quia non convenit illi ratione Petreitatis, nec profuit in illo à tali differentia, sed potius à ratione hominis, quæ est communis Petro, Ioanni, &c. ergo similiter in nostro casu, si omnipotentia Dei, v. g. non convenit Deo ratione propriae differentiae, per quam contrahit ens, & per quam distinguitur à quolibet ente creato, sed potius ratione praedicati communis Deo, & creaturis, sine dubio omnipotentia convenit etiam entibus creatis, & non esset proprium attributum Dei, & idem est de risibilitate, &c. sed hæc omnes formalitates conveniunt talibus entibus particularibus ut propria attributa eorum, ac proprietates ipsorum: ergo ita debent illis convenire ut non oriuntur, vel quasi oriuntur à praedicatis communibus eorum, sed potius à proprijs, & particularibus constitutivis eorumdem, per quas contrahunt ens, & differunt ab omni alio, quod non fuerit eiusdem essentiae cum ipso.

Minor sine controversia est vera; quia nullus unquam dixit omnipotentiam, infinitam scientiam in Deo, risibilitatem in homine consistere primario in negatione; quia primario, & essentialiter non sunt carentiae, seu remotiones alicuius entis, sed potius sunt affirmativae perfectiones, ac proinde positivae formalitates, imo si hæc essent negationes, nullum indicium reperiretur ad affirmandum dari aliquod ens positivum in universis, quia nulla est differentia, neque ullum, potest distinctim assignari inter has proprietates, & positivae quaecumque entia, quæ assignentur ab adversarijs; nam omnia quæ concurrunt in illis, sine dubio concurrunt in his proprietatibus: ergo tales proprietates sunt positivae, & non negationes.

Consequentia illa præcipua sic demonstratur. Quia omnis causa, vel quasi causa primaria, seu radix, à qua oritur, vel quasi oritur aliqua proprietas positiva, debet esse positiva, & non negatio primario, & formaliter; sed illae proprietates oriuntur, vel quasi oriuntur tanquam formalitates positivae à constitutivis proprijs essentialibus, & differentijs entium particularium, per quas differunt ab alijs, & contrahunt ens: ergo tales differentiae, & constitutiva propria non sunt negationes, sed positivae formalitates.

Maiores certissima, quia nullus effectus, aut proprietas est perfectior essentia, & causa, à qua profuit, vel quasi profuit, quia effectus, vel proprietas accipiunt esse, vel quasi accipiunt à suis essentijs; atqui id, quod est imperfectius, non potest dare esse perfectiori se, alias daret quod non continet, siquidem tribueret perfectius esse, quam in se habet, quod est contra evidentissimum illud axioma: Nemo dat quod non habet. Unde nihil inferioris ordinis potest attingere, ut radix prima per modum causae, aut quasi causae rem superioris ordinis, ratione cuius negamus posse hominem esse causam principalem Angelis: ergo nulla essentia, quæ est causa, vel quasi causa proprietatis potest esse imperfectior ipsa proprietate, quia proprietas est accessorium respectu es-

R. P. de Ideph. Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

sentiae, & est secundarius conceptus ipsius, ac proinde accidens, vel quasi accidens eiusdem. Quis enim unquam dixit risibilitatem esse perfectiorem hominis essentia? misericordiam divinam adhuc nostro modo intelligendi esse perfectiorem divinitate? certe nullus.

Sed si essentia, à qua profuit, vel quasi dimanant proprietates positiva, esset negatio, perfectior esset proprietas quam essentia, & esset eius quam causa, quia positivus conceptus est perfectior negatione secundum se; Imo multi ex Doctoribus gravissimis asserunt, negationem secundum quod negatio est, nullam perfectionem in se continere: ergo essentia illa, seu differentia essentialis, à qua profluunt, vel quasi profluunt proprietates positivae, non sunt negationes, sed positivae entitas.

Urgetur, à tenebris, cæcitate, & morte nullae proprietates, aut effectus possunt oriri, qui sint positivae formalitates, ut ipsa experientia patet; & hoc propter solam rationem, quam assignamus, videlicet quod sint formalitates negativae: ergo contra, ut aliquae formalitates positivae profluant, necesse est, ut essentia, à qua dimanant, vel quasi dimanant, sint positivae. Et ratio est, quia in conceptu negativo nihil datur positivum: ergo nullum esse positivum potest tribuere, alias iam daret quod non haberet; sed à differentijs particularium entium profluunt, vel quasi profluunt proprietates positivae tanquam à prima radice earum: ergo illae differentiae non sunt negationes, sed positivae; atqui ens ut sic contrahitur per differentias illas, à quibus dimanant tales proprietates positivae: ergo ens non contrahitur per negationem, sed per positivae formalitates.

Secundo probatur à priori conclusio. Quia illa praedicata essentialia, quibus constituuntur, adaequate positivae ac perfectissima entia, sunt positivae; sed differentiae, & modi, quibus contrahitur ens ad Deum, Angelos, homines, &c. sunt constitutiva essentialia eorum, quæ entia positiva perfectissima sunt, praesertim Deus, de quo nullus unquam dubitavit; sed potius unanimi consensu omnes Doctores Ecclesiae docent, & affirmant esse ens positivum perfectissimum: ergo modi, seu differentiae contrahentes ens ad constituendum talia entia positiva, non sunt negationes, sed positivae formalitates. Maior est evidens; quia constitutum non habet aliud esse ab esse eorum, à quibus constituitur, quia constitutiva essentialia non constituunt in genere causae efficientis producendo extinscere, sed potius intrinsèque exhibendo proprium esse; sed constitutum est adaequate, & essentialiter positivum: ergo constitutiva illius tanquam praedicata essentialia sunt positiva.

Dices, ens ut sic, quod est unum ex constitutivis, est positivum, & hoc sufficit ut constitutum sit positivum, etiamsi differentia, quæ concurrat ad talem constitutionem, sit negativa.

Sed contra; quia positivum ut sic est bonum, negativum autem comparatum positivo iudicatur malum; sed bonum ex integra causa, malum autem ex quocumque defectu: ergo ut constitutum sit simpliciter positivum, omnia concurrentia ad talem constitutionem debent esse positiva, alias non ex integra causa positivum erit, quare non positivum, sed negativum diceretur. Unde si Deus solum habet unum constitutivum positi-

A a 2 yum,

vum, alterum autem negativum primario, & per se, non positivum, sed negativum absolute dicens est; præcipue, quia ille modus, qui negativus iudicatur, non est commune constitutivum, sed proprium, & ultimum, per quod præcipue, & proprie Deus in esse Dei constituitur; unde ab illo præcipuum denominationem habebit exemplo manifestissimo declaratur. Ideo cæcus, & tenebrosus dicuntur simpliciter negativa constituta, quia ultima constitutiva illarum sunt negationes, etiam si detur in illis aliud constitutivum positivum: ergo si ultima differentia rei, per quam ultimo, & proprie constituitur illa, est negatio, etiam si concurrat aliud constitutivum positivum ad talem constitutionem, tale constitutum erit negativum, & non positivum.

18 Minor præcipua evidens est, quia illud est constitutivum essentiale alicuius entis particularis, quod immediate contrahit rationem communem ut ex tali contractione rei contrahunt immediate rationem communem entis, & ex tali contractione resultat unum per se essentialiter: ergo modi, & differentie sunt constitutiva essentialia rei. Quod adeo evidens est, ut nullus etiam cæcitiens possit hoc in dubium revocare. Quis enim ignorat, rationalitatem, quæ est differentia contrahens animal, & perfectitatem, quæ est modus contrahens ens, esse prædicata essentialiter constitutiva hominis, & substantie? Imo si vere loquamur, dicendum est differentias rerum non solum esse constitutivas essentialiter, sed potius ultimo, proprie, ac perfectissime constitutivas.

19 Tertio sic argumentor, si ens contraheretur ad sua inferiora per solum negationem; substantia, & accidens non distingueretur essentialiter, sed hoc est falsum: ergo. Probatur Maior. Tunc aliqua non distinguuntur essentialiter, licet unum dicat negationem alterius, quando fundamenta negationum non distinguuntur essentialiter per aliquas differentias positivas, sed si ens contraheretur per negationem, substantia non distingueretur ab accidenti per aliquam differentiam positivam: ergo non distingueretur essentialiter. Maior est evidens. Ideo enim Petrus, & Paulus non distinguuntur essentialiter, quia licet Petrus dicat negationem Pauli, nihilominus talis negatio non supponit differentiam positivam essentialiter distinctam in Petro, & Paulo. Et ratio huius est evidens, quia omnis negatio est conceptus secundarius: ergo præsupponit conceptum primarium: ergo nulla res distinguitur essentialiter ab alia per negationem. Patet consequentia. Nulla res potest distingui ab alia per conceptum secundarium, sed omnis negatio est conceptus secundarius rei simpliciter, in qua invenitur: ergo nulla res potest distingui essentialiter ab alia per negationem. Maior est lumine naturæ nota. Nam ideo homo non distinguitur essentialiter ab equo per risibilitatem, quia risibilitas est conceptus secundarius hominis, qui supponit necessario conceptum primarium completum, scilicet animal rationale, quod est ultimum constitutivum hominis: ergo supponit ultimum distinctivum hominis. Patet evidenter consequentia. Ultimum constitutivum est ultimum distinctivum; sed conceptus secundarius supponit ultimum constitutivum: ergo supponit ultimum distinctivum: ergo conceptus secundarius non potest distinguere essentialiter rem,

Confirmatur, omne distinctivum eo modo, quo est distinctivum; est constitutivum rei: ergo si conceptus secundarius esset distinctivus essentialiter, esset etiam constitutivus essentialiter: ergo non esset conceptus secundarius, quia nullus conceptus secundarius constituit essentialiter rem; sed omnis negatio est conceptus secundarius: ergo non potest distinguere essentialiter rem. Probatur Minor, omne illud, quod supponit aliud ut subiectum, vel quasi subiectum, à quo dimanet, vel quasi dimanet, non potest esse conceptus primarius ipsius subiecti; sed omnis negatio ita se habet, (& loquor de negatione, quæ coniuncta est cum aliquo positivo): ergo omnis negatio est conceptus secundarius: ergo nulla res potest distingui per negationem ab alia essentialiter; sed substantia supra ens solum addit negationem secundum adversarios, & etiam accidens: ergo totum ens positivum, quod est in substantia, non distinguitur essentialiter à toto ente positivo, quod est in accidente. Ex quo etiam sequitur quod Deus, & creatura non distinguuntur essentialiter in ratione positiva propria Dei, & creaturæ, & quod Deus in ratione propria positiva sua non est perfectior creaturæ; quod parum consonum est nostræ fidei, & lumini naturæ repugnans; quia corrumpet tota nostra Philosophia, nam omnia entia, cum sint æqualis perfectionis secundum adversarios, æquales haberent etiam proprietates & operationes; sed hoc est falsum, & contra evidentem experientiam; quis enim dicat, equum habere æquales operationes cum homine: ergo homo habet perfectius principium operandi, quam equus, sed principium operandi non est negatio, sed aliquid positivum: ergo in homine datur aliquid positivum perfectius, quod non datur in equo.

SVBSECTIO I.

Tertium argumentum principale ponitur.

11 Tertio argumentatur, quia convenientia, & differentia positiva debet fundari in rationibus positivis, sed Deus, & creatura conveniunt, & differunt positive: ergo per rationes positivas, sed conveniunt in ratione entis, & differunt per modos creati, & increati, per se, & in alio: ergo tam ens quam modi sunt aliquid positivum, & non negatio. Maior patet ex terminis. Minorem quoad secundam partem probo; adversarij enim dant alteram partem, quia Deus in esse Dei, & creatura in esse substantiæ, & accidentis habent essentias positivas reales perfectas, sed differunt per eandem essentias, quia non distinguuntur essentialiter ab alia per aliquod distinctum esse à se, ut latissime in Logica, tractatu de Universalibus, & in questione: *Utrum substantia habeat, &c.* demonstratum manet: ergo positive differunt, siquidem medium formale differendi est essentia positiva.

Præterea, quia negatio essentialis non consequitur alteram negationem, sed quid positivum, ut patet in homine, aut Leone, ille namque huius importat essentialem negationem, ut asserit Divus Thomas ratione differentie positivæ; unde, & contractio animalis ad utrumque fit, per aliquid positivum, quod consequitur negatio; sed substantiam ut substantiam consequitur negatio essentialis accidentis: ergo ratione alicuius positivis non

Quæst. VIII. Quomodo contrahatur, &c. 189.

non ratione entis ut sic, alias etiam accidens, quod est ens, diceret negationem accidentis, unde esset, & non esset accidens; ergo ratione modi positivi, & non negationis, quia non est aliud positivum in substantia: ergo ipse modus positivus erit.

21 Declaratur, quia si substantia constituitur negatione in esse substantiæ, per negationem contrahentem ens, vel accidens, constituitur etiam per negationem, vel per aliquid positivum? si primum, quæro de illa negatione, de quo sit? neque enim apparet, de quo esse possit, nisi de perfectate, siquidem inalicitas, & perfectitas opponuntur; tunc autem sequitur circulus vitiosus inintelligibilis. Nam perfectitas erit negatio inherentiæ, & inherentiæ perfectitatis, & sic dabitur negatio negationis; sed negatio negationis non est pura negatio, sed connectitur essentialiter cum positivo, vel est positivum explicatum per negationem: ergo. Et ratio est, quia pura negatio est alicuius positivum: v.g. nihilum est negatio entis, & non connectitur cum aliquo ente positivo; negatio autem montis, vel cæcitatis est positivum explicatum per negationem in homine, & in Deo. Possibilitas autem, quia est negatio non pura, connectitur essentialiter cum positivo: ergo si modus perfectitatis contrahens ens est negatio negationis, connectitur cum aliquo positivo, sed non connectitur cum ente, quia cum ente ut sic non connectitur negatio inherentiæ: ergo connectitur cum alio positivo, quod erit in substantia, sed non est aliud positivum præter ens, nisi modus contrahens ens ipsum; ergo modus ille erit positivus.

24 Si secundum: ergo iam ens contrahitur ad suum inferius, non per negationem, sed per positivum: ergo a fortiori ipsa substantia contrahet ens per positivum modum. Patet ista consequentia, quia substantia est perfectior accidenti: ergo constitutum illius proprium non debet esse negatio, sed positivum, quia iam non substantia accidens, sed accidens potius substantiam perfectione superabit.

25 Item, quia substantia quatenus talis est, & ex propria ratione illius formali, ut in confesso est apud omnes, excedit in perfectione accidens, & ideo ab adversariis dicitur substantia principalis, & perfectius analogatum respectu accidentis; sed propria ratio substantiæ est modus per se: ergo ex vi talis modi dicit maiorem perfectionem: ergo modus per se non est pura negatio; alias substantia ex vi propriæ rationis non excederet in perfectione accidens; quia pura negatio ut negatio nullam dicit perfectionem, ut videre est in nihilo. Hæc consequentia sic probatur; quia substantia non excedit accidens ratione entis ut sic, quia in illa ratione univocantur, ut late probatum manet supra; ergo excedit accidens ratione modi; ergo modus est perfectio, quia excedit substantiam accidens, sed perfectio non est negatio; sed positivum: ergo ille modus erit positivus, & non negatio, licet explicetur per negationem, sicut simplicitas Dei est positivum quid, & inæqualitas in homine etiam, & nihilominus explicatur per negationem.

26 Vltimo, quia, ut bene advertit Pater Suarez, non potest intelligi, quid Sonzinarem in hanc sententiam induxerit, cum ipse non ponat conceptum obiectivum entis præcisum ab hoc distincto: substantia, vel accidens, quia si ab his non abstrahitur, nullo modo contrahente indiget; Quo-

modo enim, ait Sonzinas, contrahitur per negationem, siquidem ubi non datur capacitas præcisionis, nullo modo potest subsequi contractio: unde sola ablatione alterius membri in illo distincto, alterum determinatum relinquitur, id autem, quod relinquitur, non potest intrinsece constitui per solam ablationem alterius, sed per id, quod intrinsece, & proprie est positiva perfectio, alias homo posset constitui per animal, & solam meram ablationem ininibilitatis, quod nullus amens diceret, sed per positivam perfectionem rationalitatis.

SVBSECTIO II.

Nostra secunda conclusio ponitur, & probatur.

Ratio entis simpliciter una, atque præcisa est 27 contrahibilis ad sua inferiora: probatur; quia omne totum potentiale est contrahibile ad sua inferiora, sed ratio entis simpliciter una, atque præcisa est totum potentiale: ergo est contrahibilis ad sua inferiora. Illatio patet in *Disposit.* Maior videtur ex terminis manifesta, & convincitur inductione; etenim omne totum potentiale dicit ordinem ad totum actuale, cuius pars intrinseca, & constitutiva est media unione ad alteram partem minus patentem. Unde proprium totius potentialis aliquid importat actu totius actualis, & aliquid virtute, & potestate, cui si adiungatur per contractionem, unum efficiet compositum, aut constitutum. Minorem vero sic ostendo. Ratio entis simpliciter una, atque præcisa non est totum actuale respectu substantiæ, & accidentis, cum non sit actu quidquid est substantia, & accidentis, secus enim de nullo vere enuntiaretur, & coalesceret ex duplici extremo primo opposito, atque diverso: ergo est totum potentiale, cum non sit medium inter actuale totum, & potentiale.

Ais, rationem illam simpliciter unam, atque 28 præcisam, nec esse totum actuale, nec potentiale respectu substantiæ, & accidentis; sed partem actualem utrinque.

Contra, quia nulla pars actualis unius extremi, ut actualis pars est, habet rationem superioris enuntiabilis formaliter de multis etiam oppositis, atque diversis; sed ratio entis simpliciter una, atque præcisa habet rationem superioris comparata ad substantiam, & accidens, de quibus formaliter, licet sint opposita, enuntiari potest: ergo ut sic nequit dicere rationem partis actualis respectu unius inferioris, maxime cum pars ut pars ex dictis in *Logica, cap. de genere*, non prædicetur de toto, cum debeat prædicatum continere quidquid subiectum, si non actu, saltem potestate. Ratio ergo entis, si tantum dicit rationem partis actualis, nec de substantia enuntiabitur, quam ut pars componitur; nec de accidente, ad quod minime pertinet. Explicatur hoc. Materia prima nullo modo prædicatur de toto, quod actu constituit, quia distinguitur ab illo, & non continet quidquid continet totum; nec prædicatur de alio, quod non componitur, quia minime pertinet ad illud; sed ens quatenus pars actualis, in ea ratione, qua pars metaphysica est, & quatenus distinguitur à toto potentiali, nullo modo continet id, quod continet totum, quia semper una pars excludit aliam;

A a 3 &c

& ideo componit cum illa, alias non componeret: ergo metaphysice non potest predicari de toto, quod constituit; neque de accidente, ad quod non pertinet. Quod etiam probant omnia argumenta, quibus in Logica probavimus genus, v.g. animal sumptum ut partem, non posse predicari de homine, & brutum: videantur dicta à nobis ibi.

Nec video aliquod discrimen inter ens, & animal quoad hoc, sed potius video eandem rationem formalem dari in ente, ac in animali, ne predicetur; nam tota ratio quare animal non potest predicari sumptum ut pars actualis, est ipsa ratio partis, quæ facit, ut id, quod est pars, non contineat, neque actu, neque potentia totum id, quod continet subiectum; sed per vos in ente datur ratio partis actualis: ergo propterea non continet actu, aut potentia quicquid continet subiectum: ergo ut pars actualis non potest predicari de illo. Igitur ut predicetur ens, debet sumi ut ratio superior præcisa, non præcisione partis à toto, sed totius potentialis ab inferioribus, quæ in potentia contineat, & ad ipsa contrahibilis sit, & communicabilis illis ut quid universale, sed omne universale est prædicabile de inferioribus: ergo ens sumptum hoc modo erit prædicabile metaphysice, & sumptum ut pars minime erit prædicabile, quia prædicabile est passio universalis, & pars ut pars non est universale, ut patet ex dictis latissime in Logica, quia universale ut tale est totum potentiale, ac superius, & pars ut pars neque est totum respectu totius, quod componit, quia unum totum non componit aliud, neque est superior respectu totius, quod constituit: ergo evidenter sequitur, falli adversarios in sua solutione.

SVBSECTIO III.

Quarta conclusio ponitur.

²⁹ **C**ontractio entis considerata ex parte entis in ordine ad inferiora, & quatenus ens ex parte sua est solum totum potentiale, quod non continet actu differentias inferiorum est per aliquod additum supra ens, & non per maiorem expressionem solum: probatur.

³⁰ Primo, quia tunc additur aliquid alicui ex parte ipsius, quando de novo adiungitur aliquid illi, quod antea non erat actu in ipso; sed in contractione entis ad constituendam substantiam, & accidens adiunguntur enti, & cum ipso ente uniuntur modi per se, & in alio, qui antea non erant actu, neque reperiebantur in ipso aut confuse, aut expresse: ergo contractio entis ex parte ipsius fit per aliquod additum supra ipsum ens. Maior evidens est: quia addere aliquid alicui de novo nihil aliud est quam adiungere illi aliquid de novo, ut ex additione reali patet; intellectui enim additur actus intellectus realiter, dum intellectus producit, quia adiungitur intellectui, & unitur illa entitas intellectionis de novo, quæ antea non erat in intellectu, & è contra, ideo in Deo nulla potest dari realis additio de novo, quia nihil de novo, quod antea Deus non haberet, potest aliquo modo illi adiungi realiter, quia propter omnes catholicos acriter in Caietanum invehuntur ex eo quod asseruerit, in exercitio divinæ voluntatis, & intellectus dari additionem

realem in Deo, quia Deus incapax est, sicut diminutionis, sic augmenti, quia Deus omnino immutabilis est, tam physice quam moraliter; si autem Deus esset capax alicuius additionis de novo realiter, sine dubio mutaretur, præcipue, quia cum Deus sit actu infinite perfectus, actu habet omnem perfectionem; unde nulla est excogitabilis perfectio, quæ possit de novo addi supra Deum; si vero aliqua excogitaretur perfectio, quam ante hunc diem, v.g. non habebat actu Deus, & hodie adiungeretur Deo de novo, adderetur illa perfectio Deo; & nihil est addi de novo supra aliquid, nisi adiungi illi de novo, hoc est, quod antea non erat actu in illo.

Minor præcipua sic probatur, quia ens, de quo ³¹ loquimur, est ens simpliciter præcise à modis per se, & in alio, ut latissime probatum manet, & in illo ente ut sic præcise actu ante contractionem minime continentur illi modi, sed potentia. Tunc sic: illa contractio entis fit ad constituendam substantiam, vel accidens, quæ constitutio non fit solum per modum perfectitatis, quia substantia non est perfectitas solum, nec fit solum per rationem entis ut sic, nec per rationes entis, & perfectitatis cum discretionem, & separationem sumptas: ergo per conjunctionem perfectitatis ad ens, limitando, & contrahendo ipsum ens ad esse substantiæ: ergo in illa contractionem adiungitur illa perfectitas enti; sed illa perfectitas antea non erat actu in ente: ergo adiungitur in illa contractionem aliquid enti de novo: ergo illa contractio fit per aliquod additum, de novo supra ens, unde non solum per maiorem expressionem.

³² Secundo, quia sicut se habet coniunctio, seu contractio divinitatis ad constituendam personam media relatione (per intellectum, quia à parte rei neque coniunctio, neque contractio datur in divinitate respectu personalitatis, sed pura, & simplicissima identitas:) sic se habet contractio entis ad constituendam substantiam medio modo perfectitatis; sed in illa contractionem additur divinitati relatio, & hoc modo constituitur persona: ergo similiter in contractionem entis additur supra ens modus perfectitatis. Maiorem sic probo, nam sicut ens contrahibile per modum perfectitatis est ratio communis transcendens non solum substantiæ, sed etiam modo illi contrahenti; & actu in se non continet nec confuse, nec expresse perfectitatem, vel inaleitatem, sed in potentia; ita divinitas est prædicatum commune tribus divinis personis, & imbibitur, seu transcendit non solum divinas personas, sed etiam divinas relationes, & non continet actu formaliter illas in suo conceptu divinitatis essentialiter, sed solum eminenter, & quasi virtualiter: ergo ita se habet contractio entis ad constituendam substantiam medio modo perfectitatis, sicut determinatio divinitatis media relatione filiationis, v.g. ad constituendum filium. Minor præcipua sic probatur, quia in constitutione personæ per divinitatem coniungitur cum divinitate actu perfectio quædam relativa formaliter realis, non realiter, per rationem tamen distincta, quæ antea non dabatur formaliter in conceptu præcise divinitatis ut sic: ergo.

³³ Præterea, quia conceptus divinitatis expresse, nec confuse relativus actualis est, non confuse, quia relatio non est de essentia divinitatis vlllo modo, nec clare, quia conceptus expresse divinitatis solum est ens absolutum, & independens, & confusum

Quaest. VII. Quomodo contrahatur, &c. 191

confusum attributorum omnium; sed relationes paternitatis, & filiationis non sunt ens absolutum, & commune tribus divinis personis: ergo conceptus divinitatis non est conceptus clarus; neque confusus relationum. Vnde quando actualiter formaliter adiungitur relatio, additur illa divinitati nostro modo intelligendi.

34 Tertio, quia ens, quod est totum potentiale, est perfectibile, si in contractione perficitur per modos, sed omnis perfectio alicuius potentialis perfectibilis fit per additum perfectionis supra perfectibile: ergo ens, quod perficitur in contractione per modum per se, additur talis modus, & contractio fit per additionem supra illud. Maior sic probatur. Supposito quod certum sit, ens nihil minus esse totum potentiale, & perfectibile, quod supponitur ex *superiori questione*, & sic patet. Nam ens est totum superius continens in potentia inferiora illius; & ex alio capite est capax coniungendi se cum modo increato ad constituendum Deum, sed ille modus increatus est summa, & infinita perfectio: ergo evidenter constat, & esse totum potentiale, & esse perfectibile respectu modorum, nam perfectius existit ens, in Deo, quam in statu separationis, quod contingit ex eo quod perficitur medio modo illo increato, hoc supposito.

35 Sic probatur Maior, quia illud, quod est totum potentiale, & perfectibile per aliquam perfectionem, quando coniungitur illi perfectioni, perficitur per illam; v.g. quando intellectus coniungitur lumen glorie, vel visioni beatifica, quia coniungitur perfectioni, perficitur ab illa, sed in contractione ens, quod est totum potentiale, & perfectibile, coniungitur cum modo increato, & modo per se, qui sunt perfectiones simpliciter simplices: ergo perficitur in contractione ab illis. Minor praecipua sic probatur, quia impossibile est quod perficiatur aliquid potentiale, nisi perfectio actus, & informet illud; perfectio enim non perficit aliquid nisi in genere causae formalis, dando se, & exhibendo se illi, quod perficit, & reducendo potentialitatem illius, & imperfectionem media sui exhibitione ad actualitatem, & ad esse perfectum, sed non potest actuare perfectio, & informare perfectibile, & potentiale, nisi per unionem, & coniunctionem perfectionis de novo cum perfectibili; ubi non erat antea illa perfectio, haec autem est definitio additionis perfectionis: ergo omnis, &c.

36 Confirmatur primo; Ideo datur in Deo incapacitas alicuius additionis realiter, & alicuius perfectionis adiunctae Deo, quia nulla perfectio potest informare Deum, & actuare illum de novo, quae antea non datur in ipso, quia Deus per suam ipsam perfectionem simplicissimam est omnis perfectio simpliciter, & contra, si de novo per impossibile daretur perfectio, & actuaretur Deus ab illa, quae antea non erat in ipso Deo, sine dubio daretur additio realis perfectionis in ipso, quae antea carebat ille; quia nihil aliud est addi aliquid alicui, nisi id, cui additur, augeatur in illa ratione, v.g. in alio lapidum fit additio alicuius lapidis, qui additur ipsi, quando augetur ille alio modo, per illum lapidem additum, & intentio qualitatis fit per additionem gradus ad gradum, quia adiungitur primo gradui alia perfectio qualitatis, quae antea non dabatur in tali qualitate, media qua adiunctione augetur illa qualitas.

Clarius explicatur exemplo animae rationalis: nam ideo animae rationali mediante potentia obedientiali additur de novo gratia habitualis, quia gratia, quae est perfectio supernaturalis, adiungitur de novo animae rationali, quae antea non erat in anima, & ipsa perficitur, & accipit augmentum perfectionis: ergo omnis coniunctio, & actus perfectionis respectu alicuius subiecti perfectibilis, in quo antea non dabatur illa perfectio, est per propriam additionem supra illud, sed enti coniunguntur modi increati, & perfectitatis de novo, qui antea non erant in ipso actu, siue confuso, siue expresso, ut *questione superiori* late probavimus, dum contrahitur ad inferiora, ut ipsa inferiora constituantur: ergo contractio entis considerata ex parte ipsius non solum est per maiorem expressionem, sed potius per additionem differentiarum supra illud.

Confirmatur secundo, quia omnis potentialitas rationis superioris, ac communis multis tollitur, actuatur, determinatur, ac limitatur per aliquem actum illi coniunctum, quem respiciebat, ut una cum eo tertium constitueret, sed talis actus coniunctus est aliquid superadditum potentialitati: ergo omnis determinatio alicuius potentialitatis rationis, & superioris multis fit per additionem alicuius, sed contractio entis fit determinando potentialitatem illius, & reducendo illam ad actualitatem per modos, & differentias coniunctas enti: ergo talis contractio est per propriam additionem. Minor illa prima sic probatur, quia omnis actus, qui erat extra potentiam, & coniungitur potentiae, extrahit potentialem, cui coniungitur, ad esse actuale; sed quoties extrahitur aliquid ab uno statu ad aliud intrinsece, supra illud, quod extrahitur, additur aliquid, ut videre est in possibilitate, quae extrahitur ab illo statu negativo ad statum positivum existentiae per additionem existentiae supra ipsam; & intellectus antequam intelligat, est potentialis, à quo statu extrahitur per additionem actualis intellectus: ergo si ens extrahitur ab illa potentialitate ad actualitatem essendi, cum illa extractio fiat per actum, qui est extra ens, necessario debet esse per additionem illius, si autem non adderetur illud esse modi contrahentis ens, non vere contraheretur ad constituendum aliquid inferius, ideo enim definitum nullo modo potest contrahi ad aliquam partem definitionis, quia supra definitum non potest addi aliqua pars definitionis de novo; quare, quando ponitur definitio, dicitur maior expressio solum supra definitum poni, quia nihil est expresse in definitione, quod antea non esset actu confuso in definito, sed modi illi contrahentes, qui coniunguntur enti, nullo modo continebantur actu in illo: ergo actu adduntur supra ens ad constituendum inferius entis.

SVBSECTIO IV.

Quarta ratio principalis ponitur.

Quando constitutio alicuius fit per constitutiva, quae habent aliquo modo oppositas rationes, talis constitutio fit per additionem unius constitutivi supra aliud, sed constitutio substantiae fit per ens, & per modum perfectitatis, quae

quæ habent aliquomodo oppositas rationes: ergo fit per additionem vnius respectu alterius, aut supra alterum; sed non per additionem entis supra modum per se: ergo per additionem modi per se supra ens. Hæc vltima Minor sic patet, quia nunquam fit additio totius potentialis, & perfectibilis supra perfectionem, sed potius perfectionis supra perfectibile, quia perfectibile, & perfectio, potentiale, & actus se habent vt subiectum, & forma; sed subiectum non additur supra actum, nec materia supra formam, sed potius forma, & actus supra subiectum, & materiam: ergo. Maior præcipua sic probatur, quia quando constitutiva sunt oppositæ rationis, & concurrunt ad constituendum vnum, ita concurrunt tanquam distincta vniuersalia vt vniantur illa inter se, ratione cuius vniouis, actus, qui non continebatur in potentia, addatur supra illud; ergo quando constitutio alicuius, fit per constitutiva, &c. Antecedens hoc sic probatur. Quia addi vnum alteri nihil aliud est quam vnum poni supra alterum media vnioue, in quo non reperiebatur illud, ideo enim parieti additur albedo, dum dealbatur, quia albedo ponitur supra parietem media vnioue, in quo antea non dabatur talis albedo: ergo nihil aliud est vnum addi alteri, quam poni, &c.

39 Minor præcipua sic probatur, quia constitutio substantiæ fit per ens, & per modum perfectionis, ita vt ens sit transcendens modum per se, modus autem per se non transcendat ens, ens est potentiale, & indifferens respectu substantiæ, & accidentis, modus autem per se est determinatio, & actualitas respectu substantiæ, sed potentiale, & actuale, indifferens, & determinatum, transcendens, & non transcendens sunt aliquomodo oppositæ rationis, vt de se patet, cum vnum dicat negationem conditionis alterius, vel formaliter per intellectum, vel virtualiter à parte rei: ergo constitutio substantiæ, quæ fit per ens, & perfectionem, fit per constitutiva, quæ sunt aliquomodo oppositæ rationis: vnde ex parte entis fiet additio. Explicatur hoc. Ideo quando coniungitur intellectio cum intellectu ad constituendum hominem intelligentem, fit additio intellectiois supra intellectum, quia concurrunt duo constitutiva intelligentis, quæ aliquomodo habent oppositas rationes: intellectio enim est actus, intellectus autem potentia. Item, quando inhaerentia coniungitur albedini, & substantia naturæ, fit additio harum respectu illarum, quia tales formalitates, quæ coniunguntur, aliquomodo inter se opponuntur, seu, vt melius loquar, sunt formalitates diuersæ rationis; sed ens, & perfectas, quæ coniunguntur ad constituendam substantiam, sunt formalitates diuersæ rationis, & oppositæ aliquomodo, & perfectas actu ante coniunctionem cum ente in ipso ente non continebatur: ergo quando coniungitur perfectas enti, & ens contrahitur per ipsam ad constituendam substantiam, talis contractio fit per additionem perfectionis supra ens, & non per solam maiorem expressionem ex parte entis.

40 Vrgetur, ratio entis est simpliciter præcisa à substantia, & accidenti: ergo vere, & simpliciter contrahitur ad substantiam; sed vera & simpliciter contractio non est solum maior expressio illius formalitatis, quæ contrahitur per aliam; sed potius illa formalitas contracta simpliciter indiget aliquo addito vt contrahatur vere: ergo

ens, quod vere contrahitur ad substantiam per perfectionem non est solum per maiorem expressionem ex parte entis, sed potius per additionem perfectionis supra ipsum. Minor illa sic probatur, Ideo ens non contrahitur ad propriam definitionem, nec animal dicitur contrahi per propriam; sed solum dicuntur magis exprimi, & explicari per illas, quia definitiones respectu definitiuorum nihil addunt, sed solum exprimunt id, quod actu in ipsis erat: ergo omnis vera contractio petit vt non solum magis exprimat id, quod contrahitur, sed potius vt addatur aliquid; quia quid contrahitur post præcisionem simpliciter, non distinguitur ab illo, ad quod contrahitur post talem præcisionem solum penes modum significandi clare, & confuse, sed penes formalitates significatas in illo conceptu simpliciter præciso actu non inclusas, vt ex terminis constat, & aduersarij huiusmodi præcisionem concedentes simpliciter admittant, quibus sine dubio assentiendum est in re, si dicant ens non distingui à substantia, & accidenti: solum penes modos significandi; nam illi, qui hoc sentiunt, non ponunt ens simpliciter præcisum à substantia, & accidenti. Præterea, quia si ille modus perfectionis, & ens ex parte entis solum distinguntur per maiorem expressionem, distinguentur solum penes modum significandi, non per res significatas: sed ens, substantia, & accedens non distinguntur secundum solum modum significandi; sed etiam secundum formalitates significatas: ergo non distinguntur solum per maiorem expressionem: ergo quando coniunguntur in contractione, vna non est solum maior expressio respectu alterius, sed potius erit vera additio. Probo Minorem. Ens essentialiter, vt supra probauimus, non includit ipsas formalitates substantiæ, & accidentis; ergo distinguitur ab illis non solum ex modo significandi; sed etiam secundum formalitates significatas. Antecedens constat. Consequentiam probo, quia quicquid essentialiter non includit aliud, distinguitur ab illo secundum formalitatem illius, & non solum penes modum significandi eandem formalitatem: sed ens essentialiter non includit ipsas formalitates substantiæ, & accidentis: ergo distinguitur ab illis secundum formalitates significatas, & non solum secundum modum significandi eandem formalitatem; sed ea, quæ distinguntur non solum in modo significandi, sed etiam secundum formalitates, ita vniuntur vt vna addatur alteri ex parte illius, quæ excludit ipsam: ergo quando ens coniungitur perfectas in contractione metaphysica, quia excludit illam à suo conceptu, ita coniungitur ipsi vt proprie addatur supra ens.

Vrgetur, determinatio rationis superioris, & communis per inferiorem, sequitur abstractionem, seu præcisionem illius: ergo si determinatio, aut contractio ex parte rationis superioris fit per maiorem expressionem, ita etiam se habebit præcisio, aut abstractio; atqui præcisio ex parte rationis superioris secundum magis, & minus clarum solum est tantum imaginaria, & secundum vocem, minime secundum rem: ergo & determinatio illo modo erit imaginaria, & sine fundamento; atqui falsum est dicere præcisionem entis à suis inferioribus esse tantum imaginariam secundum vocem, & non secundum rem, cum asseratur ratio entis non solum secundum quid, sed simpliciter abstracta, & præcisa à suis inferioribus

Quaest. VIII. Quomodo contrahatur, &c. 193

inferioribus: ergo pariter falsum erit dicere, determinationem, seu contractionem entis ad sua inferiora fieri per solam maiorem expressionem ex parte entis, quod simpliciter praescinditur, & contrahitur.

42 Primum antecedens constat in omnium sententia, nec renuunt concedere adversarij. Illatio colligitur manifeste. Minorem probō, quia si inter definitum, & definitionem asseratur praecisio, erit imaginaria, & secundum vocem; aut titulum, non secundum rem; quia definitio, & definitum non distinguuntur nisi secundum clarum, & obscurum: ergo praecisio secundum magis, & minus clarum tantum est imaginaria, & secundum vocem, minime autem secundum rem. Minor, & consequentia tenent. Maiorem ostendo; quia si definitum esset praecisum à definitione, vel è converso, aut definitio contineret idem, quod definitum; aut minus: sed nihil horum convenit definito respectu definitionis, aut è converso: ergo non erit praecisio inter utrumque secundum rem, sed mere secundum vocem. Illatio cum minori constat. Maior sic ostenditur, quia tunc datur praecisio vera adhuc per rationem, cum vnum ita cognoscitur sine alio, vt cognitum excludat aliud, sine quo attingitur per notitiam, sive ab hoc excludatur, sive non, vt patet in animali, & quantitate; animal enim praecisum à rationali excludit illud, quia cognoscitur sine illo; excluditur etiam à rationali, quia hoc potest cognosci sine animali, & sic datur mutua praecisio, & exclusio inter utrumque. Similiter quantitas iuxta mentem contrariorum abstracta à bicubito excludit vt sic determinatam eam extensionem, sine qua per intellectum attingitur, non tamen excluditur à bicubito, quia haec nequit concipi sine quantitate, & sic non erit mutua praecisio, & exclusio: unde nec quantitas dicit totum quod importat bicubitum, nec animal idem, quod rationale. Ex hoc oritur aliud valde notandum, quod praecisa quantitas, & animal vt sic non sunt quid limitatum, & particulare, nec recurrunt cum extremis, à quibus praescinditur; ergo si definitum secundum rem abstraheret à definitione, vel è converso eorum alterum non contineret idem quod alterum, vel minus illo, & consequenter non essent aequae limitata extrema, aut dicerentur ad convertentiam; quod evidenter nudum veritate elsparet igitur admissa ratione entis vnius simpliciter; atque praecisi eius ad inferiora contractionem non fieri per maiorem solam expressionem.

43 Tandem ex supra dictis habetur ratio entis vnam simpliciter, atque praecisam esse contrahibilem ad sua inferiora, vt totum potentiale atque superius; sed omne contrahibile ad inferiora vt totum potentiale, & superius determinatur per rationes particulares virtute contentas, & formaliter additas supra superius; ergo similiter ratio entis determinatur, & contrahitur ad inferiora; sed contrahi per rationes particulares virtute contentas, &c. non est determinari per solam maiorem expressionem conceptus eiusdem confusi: ergo maior prima relinquitur probata: minorem sic ostendo. Ratio communis & superior multis vt totum potentiale, est quid indeterminatum, illimitatum ac indifferens: ergo cum descendit ad vnum vel alterum inferiorem, determinatur ac limitatur per aliquod ex parte inferiorum non commune: ergo particulare non actu contentum: ergo virtute, & potestate ac proinde non per solam maiorem expressionem liquet igitur minor prima, & consequentia à paritate rationis. Declaratur amplius; quia maior expressio tantum, ex suo conceptu non est limitativa ac contractiva alicuius praedicati superioris, & communis; sed manifestativa solum actu latentis alicuius in ratione cognita obscure, vt patet in homine, & in animali rationali; rationes vero particulares inferiorum in superiori non continentur actu confuso iuxta dicta supra; tum etiam quia rationes illae particulares inferiorum constitutivae, & distinctivae non sunt maiores expressiones respectu quarum ratio illa communis dicatur praecisa, indifferens, ac illimitata, cum eius conceptus non mere confusionis, nec rationis particularis conceptus sit tantum etiam claritatis; sed uterque rei diversae alter communis superioris illimitatae, & transcendentis, alter inferioris particularis limitati, & non transcendentis: ergo.

Declaratur amplius, conceptus qui solum differunt secundum claritatem, & obscuritatem, ita se habent, vt totum quod actu continet vnus, contineat & alter, vt patet in conceptu definiti, & definitionis; sed conceptus entis non continet actu totum, quod actu continet conceptus substantiae: ergo non differunt solum penes obscuritatem, & claritatem: ergo conceptus entis vt sic non descendit ad substantiam, v. g. solum per maiorem expressionem: illa minor patet, quia in conceptu aliquo obiectivo praeciso solum continetur actu id quod vel representatur actu & expresse per conceptum formalem, vel saltem est de intrinseca quidditate, & essentia obiecti expresse representati per conceptum formalem; sed per conceptum praecedentem rationem entis non representantur actu expresse inferiora, & modi perfectitatis, & inalicitatis, quia nulla esset praecisio rationis communis ab illis, & praeterea non sunt de intrinseca, & essentiali ratione entis vt probatum est; ergo in conceptu praeciso entis non continentur actu etiam confuse inferiora seu modi perfectitatis, & inalicitatis: minor est certa, maior autem inde constat; quod omnis praecisio obiectiva alicuius rationis ab alia inferiori est solum in re praecisa, denominatio extrinseca à conceptu formali entis representante vno absque alio: ergo ea solum continebuntur actu in aliquo conceptu obiectivo, quae per conceptum formalem representantur expresse, vel sunt partes seu rationes pertinentes ad constitutionem essentialem rei expresse representatae.

Dixi, vel sunt partes, &c. propter cognitiones aliquas seu conceptus formales representantes aliqua tota indistincte vt conceptus formalis representans hominem indistincte, hoc est non representans expresse animal, & rationale, ex quibus essentialiter constituitur homo; nam in huiusmodi conceptibus obiectivis continentur actu rationes essentielles eorum, sed modi perfectitatis, & inalicitatis non sunt tales comparatione entis vt sic.

Ultimo confirmatur, quia rationes obiectivae, quarum vna se habet vt communis indeterminata, atque transcendens, altera vt inferior particularis determinata, & non transcendens, nequeunt solum differre penes maiorem, & minorem expressionem

pressionem ex parte utriusque: atqui ratio entis simpliciter una atque precisa habet se ut superior communis indeterminata, & transcendens, & ratio perfectitatis, v. g. se habet ut inferior particularis determinata, & non transcendens: ergo non differunt penes meram maiorem, & minorem expressionem, considerata distinctione ex parte entis. Maior habetur nota ex terminis, cum sola maior aut minor expressio, nequeat inducere tam diversa ac opposita predicata, quorum unum destruit alterum, nec simul esse potest cum illo. Minor constat ex saepe dictis; etenim ratio illa cum nec sit aequalis substantiae aut accidenti, nec erit inferior, nec continebitur sub alio ut superiori, necesse est ut sit superior cum nullum aliud restet extremum; si autem superior, & indifferens ad substantiam, & accidens, erit communis utrique; si vero communis, indeterminata necessario, quod autem sit transcendens patet ex supradictis: ergo Minor quoad primam partem est clara, nec minus evidens quoad secundam, cum ratio modi per se, aut in alio maneat sub ente quod importat essentialiter, nec sit aliquid universale, & commune tum substantiae, tum accidenti; sed huius tantum vel alterius proprium, & consequenter determinatum ac non transcendens ut liquet: ergo consequentia legitime inferitur.

46 Tunc sic arguo, talis est contractio unius extremi per aliud, qualia sunt extrema; sed in praesenti extrema non se habent tantum ut magis, & minus expressum: ergo nec contractio fit penes solam maiorem, & minorem expressionem conceptus confusi: maior omnibus innotescit, minor iam est probata in priori syllogismo, tenebit igitur illatio.

SVBSECTIO V.

Ultima conclusio ponitur.

47 Si haec contractio consideretur ex parte perfectitatis in ordine ad ens, solum est per maiorem expressionem; unde additio illa non est mutua.

48 Explicatur haec conclusio, quia oppositorum eadem est ratio, & disciplina, ut fert commune proloquium: sed abstractio quae est opposita contractioni non est mutua ex parte utriusque extremi; sed tantum ex parte entis, unde perfectitas non potest praescindi ab ente licet ens praescindatur a perfectitate, quia ens imbibitur, & continetur actu in perfectitate, perfectitas autem nullo modo continetur actu in ente: ergo contractio, quae opposita est illi non erit per additionem mutua ex parte perfectitatis; sed tantum ex parte entis simpliciter praecisi: sic explicata nostra conclusio, probatur.

49 Primo, quia haec contractio ex parte modi per se fit ex parte illius, qui essentialiter est ens, ita ut formaliter includat rationem entis, & nihil sit in illo modo per se quod non sit ens essentialiter: ergo contractio huiusmodi fit per maiorem expressionem solum ex parte modi, & non per superadditum: consequentia sic patet, quia eo modo est contractio ex parte illius quod contrahit, quo est ipsum quod contrahit; sed modus per se qui est contrahens rationem entis se habet respectu illius, ut magis exprimens rationem

confusam entis quae includitur essentialiter illos; ergo Minor est clara: consequentia haec sic patet, ideo definitio est magis exprimens definitum, & non est aliquod additum supra illud, quia in definitione nihil est expressum actu quod non contineatur actu confuso in esse definiti, sed nihil exprimitur per perfectitatem actu in quo non includatur actu ens, & non sit actu confusus ens formaliter: ergo fit per maiorem expressionem ex parte ipsius modi per se, & non per aliquid superadditum.

Dices tunc aliquid distinguui ab alio tanquam expressum a confuso, quod se habet ut definitio respectu definiti; sed modus per se non est definitio entis: ergo non distinguitur eiusmodi.

Sed contra manifeste, quia duplex est genus eorum quae distinguuntur tanquam confusum, & expressum. Primum est illud in quo adaequate exprimitur quidquid est in confuso actu, & haec distinctio est inter aequalia, ut est definitio respectu definiti, nihil enim reperiemus in homine actu, quod non sit etiam actu in definitione prima hominis, v. g. in hac animal rationale.

Aliud genus est illorum quae distinguuntur confuse, & expresse inadaequate; illud nimirum quod non exprimit aliud adaequate secundum omnem capacitatem expressibilitatis, quae datur in confuso; hoc autem non potest se habere sicut definitio respectu definiti, quia inter definitionem, & definitum debet dari aequalitas: exemplum sit relatio paternitatis non omni modo quo potest exprimi divinitas, cum alio modo etiam explicetur per filiationem &c. & ideo expressio divinitatis per paternitatem non est adaequata expressio, ac proinde non est definitio divinitatis, & ratio est utriusque, tum quia divinitas transcendit paternitatem, ac proinde nihil est in paternitate in quo non imbibatur divinitas, unde paternitas nihil est quod non sit divinitas, ac proinde ex parte sua distinguitur a divinitate solum per maiorem expressionem; tum etiam, quia divinitas est communis paternitati, & filiationi, ac proinde non convertitur cum paternitate, sed latius patet quam illa, quia extenditur praeter paternitatem filiationis, &c. ratione cuius non possunt esse aequales in conversione: ergo non se habent ut definitio, & definitum.

Tunc sic, ens transcendit perfectitatem: ergo perfectitas distinguitur solum ab ente per maiorem expressionem, sed perfectitas non est aequalis enti, quia ens est commune perfectitati, & inaliquiditatis: ergo non exprimit perfectitas ens adaequate, & aequaliter: ergo non est definitio ipsius: ergo datur duplex genus eorum quae distinguuntur per maiorem expressionem, unum quod adaequate exprimit confusum, alterum quod inadaequate, primum erit definitio, secundum autem nullo modo erit definitio, quia non adaequate, sed determinate, & particulariter tantum exprimit sine aliqua convertibilitate inter exprimens, & expressum: ergo falsum est dicere omne exprimens aliud esse definitionem illius.

Secundo probatur principaliter, quia si contractio ex parte modi non esset solum maior expressio entis; sed additio, & absoluta distinctio de modo per se, posset dici absolute quod non sit ens;

Quæst. VIII. Quomodo contrahatur, &c. 195

ens, sed de modo per se non potest verificari quod non sit ens: ergo talis contractio non est per additionem, sed solum per maiorem expressionem ex parte modi. Maior sic probatur, quia ideo verificatur hæc propositio de ente, ens non est modus per se, quia non distinguitur ens à modo perfectitatis ex parte ipsius entis per maiorem expressionem solum; & similiter ideo verificatur hæc propositio, rationale non est animal, quia animal non transcendit rationale, & rationale ex sua parte quando contrahit animal, non solum exprimit illud; sed etiā addit aliquid supra illud; & contra, hæc propositio non potest verificari rationale non est ens, quia rationale non addit aliquid supra ens, sed tantum exprimit magis ens: ergo si modus distingueretur absolute ab ente ex parte sui, addendo aliquid supra illud in contractione, & non solum exprimens quod est confusum de modo, verificaretur quod non est ens; & ratio evidens à priori est, quia prædicatio ubi verificatur huiusmodi propositio non fit solum ex modo significandi, id est non verificatur vel falsificatur propter modum confusum, & expressum (alias nulla vera propositio esset formalis, & contra nunquam verificaretur prædicatio inter definitum, & definitionem, quod est falsum) sed propter res significatas; unde si inter subiectum, & prædicatum solum datur confusio, & expressio semper verificabitur prædicatio: si autem datur in subiecto res significata quæ non datur in prædicato; & sic diversæ significatæ rationes reperiuntur, non verificabitur prædicatio: ergo si modus perfectitatis per vos ex parte sua addit aliquam formalitatem significatam supra ens, quæ non sit solum maior expressio entis de modo perfectitatis, verificabitur quod non sit ens. Minor sic probatur, quod illud de quo verificatur, quod est ens, de illo non potest verificari, quod non sit ens, quia iam duæ contradictoriæ verificantur de eodem, sed de modo per se, quia distinguitur à nihilo verificatur quod sit ens essentialiter, non enim distingueretur à nihilo essentialiter si non esset ens essentialiter: ergo de illo modo non potest verificari quod non sit ens.

Confirmatur, quia illud distinguitur tanquam expressum à confuso solum, quod non potest præcindi ab illo, quia est proprium, & adæquatum constitutum illius; sed modus non potest præcindi ab ente illo modo, quia ens est intrinsece, & adæquate constitutum illius: ergo modus per se distinguitur ab ente solum ut expressum à confuso: maior est evidens, nam ideo animal rationale non potest præcindi ab homine, & bicubitus non potest præcindi à quanto, quia bicubitus distinguitur tantum à quanto, & animal rationale ab homine ut expressum à confuso, & sunt etiam adæquate constitutiva illorum; alius exemplum, Paternitas divina distinguitur solum ex parte sui à divinitate tanquam expressum in adæquatum à confuso, quia non potest præcindi ab illa à qua adæquate, & totaliter constituitur relatio paternitatis essentialiter: & ratio à priori est, quia quando vnum præcinditur ab alio cognoscitur vnum ut non inclusum in alio, quia præcisio non est quæcumque non cognitio, sed cognitio illius ut non inclusi in alio: sed idem non potest cognosci, ut constitutum essentialiter alicuius, & non ut inclusum in illo: ergo quod est essenziale constitutum

R. P. de Ideph. Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

ratione alicuius, non potest præcindi ab illo: unde è contra, si aliquid non præcinditur ab alio erit, quia includitur ut essentia in illo, & sic illud in quo includitur ut essentia adæquate non poterit præcindi ab ipso quod includitur, quia tantum expresse, & confuse distinguentur; quare ad hoc ut aliquid præcindatur ab alio, debet habere aliquam formalitatem quam non transcendat illud præcisum; minor præcipua sic probatur, quia licet ens possit præcindi à perfectitate, non tamen perfectas ab ente; nihil enim, ut diximus; potest præcindi à sua essentia adæquate, alias esset essentia, & non essentia ut late in Logica demonstro questione de Unitate formali an distinguatur à numerali, ubi primum conceptum essentia explicuit, quod autem ens sit de essentia perfectitatis questionibus sequentibus demonstrabitur, & admittitur ab omnibus Thomistis cum quibus nunc pugnavimus: ergo iam perfectas nihil habet quod non sit ens; unde omne quod habet perfectas, clare est maior expressio entis quod includitur in ipsa: ergo hæc contractio, quæ fit per perfectitatem distinctam ex parte sui ab ente, solum tanquam exprimentem; licet inadæquate rationem entis, fiet necessario ex parte modi per maiorem expressionem sine aliqua additione ex parte ipsius.

Præterea, quia hæc contractio entis ad substantiam media perfectitate, si non esset ex parte perfectitatis per maiorem expressionem esset, quia impossibilis est additio ex parte entis in hac contractione sine aliqua additione ex parte modi; cum mutuo se respiciant: sed hoc non obstat: ergo bene potest esse additio ex parte vnius sine additione ex parte alterius; minor si probatur, ut patet ex explicatione huius conclusionis, quia si potest dari abstractio non mutua, quæ est opposita contractioni, poterit dari illa contractio cum additione non mutua, cum oppositorum eadem sit ratio, & disciplina accomodato modo; item quia sine dubio potest dari distinctio ex parte vnius, ita ut non includat aliud extremum, aliud autem extremum necessario includat; & transcendat distinctum extremum, sic poterit dari & additio ex parte vnius sine additione ex parte alterius.

Ultimo principaliter probatur, quia si ex parte modi daretur additio, daretur ille celebris processus (apud adversarios maxime timendus) in infinitum, sed processus in infinitum nullo modo conceditur ab ipsis: ergo non datur additio ex parte modi; minor patet. Maior sic probatur, quia ideo datur additio in contractione entis ad substantiam, quia ad hoc ut contrahatur, & determinetur ens non potest fieri per ipsum ens: sed necesse est fieri per aliquam determinationem additam supra ipsum ens, & ratio est, quia determinatio in hoc distinguitur à maiori expressione, quod maior expressio non fit per aliquid quod non sit confusum actu sine aliqua additione ex parte obiecti per maiorem claritatem, & confusionem, quæ tantum se habent ex parte cognitionis; determinatio autem cum sit limitatio, & coarctatio amplitudinis, & capacitatis illius, quod ex se non est limitatum, & determinatum, necesse est ut fiat per aliquid ab ente distincto, & hoc est evidens in sententia Adversariorum.

Tunc sic, si ex vi determinationis, & limitatio- nis entis ad inferius esset necessaria ex parte in-

B b 2 ferigis

ferioris additio, vbi cumque esset illa determinatio daretur talis additio, quia vbi cumque est eadem ratio formalis, est idem effectus vel quasi effectus formalis; sed ens determinatur, & limitatur, non solum ad constituendam substantiam, sed etiam ad constituendum modum perfectitatis, quia non solum est de essentia substantiæ, sed etiam de essentia perfectitatis: vnde vere, & proprie contrahitur ad constitutionem perfectitatis; nam in ea est ratio entis modificata, & aliter ac in substantia, & aliter ac in modo inaleitatis; ergo potest ibi ratione distinguere in ipso modo perfectitatis, quatenus distinguitur ab inaleitate, & ab ipsa substantia ratio entis, quæ modificatur, & limitatur ad modum perfectitatis, & ratio illa contrahens, limitans, & determinans rationem entis ad modum perfectitatis, ratione distincta ab illa, qua modificatur ad ipsam substantiam, vt modificatio ipsa diversæ rationis sit; vnde fiet additio in illa limitatione, & contractione ad perfectitatem, ita vt addatur aliquid supra ipsum ens. Item in illa ratione etiam per quam modificatur ens ad perfectitatem est ratio entis similiter modificata, limitata, & determinata: ergo debet fieri altera additio per aliquid aliud distinctum; iterum de illo distincto fiet idem argumentum, & sic procedetur in infinitum: ergo.

58 Ne autem hoc absurdum concedamus, dicendum est quod licet contractio entis considerata ex parte entis sit per additionem alicuius quod non sit actu in ente, ex parte autem modi contrahentis sit per maiorem expressionem vbi sistit totus processus, quia ab additione bene progreditur ad expressionem, ab expressione autem ad nullum aliud progrediendum est; sistendum igitur in illa est, quia sit per aliquid quod continet actu secundum omnem suam formalitatem adæquatam ipsum ens.

59 Vt autem penitus hoc intelligatur, adverte quod supra probavimus quod ens continet confuse sua inferiora non actu, sed potestate, quando autem intellectus contrahit aliquam rationem necessario concipit ex vna parte rationem superiorem contrahibilem, & ex alia parte rationem inferiorem contrahentem, quia actus intellectus contrahivus necessario est comparatio: omnis autem comparatio est cognitio duorum extremorum, & sic per illum conceptum contrahivum expresse concipitur ratio contrahens, & contrahibilis; tunc autem aliquid contrahitur per maiorem expressionem ex parte inferiorum, quando exprimitur conceptus qui confuse continetur sub conceptu contrahibili, & illum includebat: sed quando contrahitur ens, per conceptum contrahitur, qui confuse continebatur sub ente, & includebat ipsum ens in se: ergo contractio entis sit per maiorem expressionem conceptus inferioris.

60 Et si istas etiam quando contrahitur animal contrahitur per maiorem expressionem.

61 Sed contra, quia hoc est falsum, & ratio disparitatis est manifesta, quia animal contrahitur per rationalitatem in qua nullo modo includitur, & sic datur mutua præcisio; vnde potest cognosci rationalitas sine animali, sicut animal sine rationalitate; vnde tam ex parte animalis quam ex parte rationalitatis quando coniunguntur datur mutua additio, sicut quando coniunguntur materia, & forma, physice fit additio mutua rea-

lis ex parte vtriusque, quia mutuo realiter se excludunt ea que realiter coniunguntur; sed animal, & rationale per rationem mutuo se excludunt: ergo quando coniunguntur per rationem, in tali conjunctione datur mutua additio per rationem: è contra vero perfectitas non excludit ens, sed potius essentialiter includit ipsum, licet ens excludat perfectitatem à suo conceptu, itaque exclusio non est mutua: ergo quando coniunguntur per rationem perfectitas, & ens, in tali conjunctione dabitur additio ex parte illius quod excludit alterum, & non ex parte illius quod includit, & non excludit aliud: vnde cum ex parte entis datur talis exclusio, ex parte ipsius solum dabitur in vniione additio per rationem, sed ex parte perfectitatis comparatæ ad ens non datur exclusio entis: ergo non datur additio supra ens.

Ex quibus manifeste colligitur substantiam in tali contractione non componi proprie, & in rigore ex ente, & perfectitate, sed solum constitui, quod vt intelligatur advertendum est maximam esse diversitatem, inter rem compositam metaphysice, & constitutam ex pluribus formalitatibus, quia vt aliqua res componatur necessario requirit quod includat actualiter plures conceptus vel formalitates distinctas inter se distinctione excludentis ab excluso, v.g. homo est compositus metaphysice, quia includit actualiter conceptum animalis, & rationalis, qui conceptus distinguuntur mutuo distinctione excludentis ab excluso, quia neque animal, &c.

Constitutio autem solum requirit quod dentur in re plures conceptus, non tamen requiritur quod ipsi conceptus distinguantur mutuo inter se distinctione excludentis ab excluso, sed potest salvari constitutio per distinctionem solum vtriusque extremi ratione maioris aut minoris expressionis, & ideo ens licet transcendat differentiam substantiæ, & non excludatur ab ipsa constituit substantiam, imo communiter dicitur definitio nem constituere definitum, v.g. animal rationale, hominem, inter quæ extrema non se excludunt sed solum distinguuntur per maiorem, & minorem expressionem.

Sed in ipsa constitutione datur duplex genus, aliud rei completa per completam constitutionem, aliud rei quasi incompleta, & vt melius loquar simplicissimæ adhuc per rationem nostro modo intelligendi conceptæ ratione indivisionis, & transcendentæ in ipsam rem constitutam in esse differentie vel quasi differentie: exemplum manifestum est, in constitutione substantiæ, & perfectitatis, vtrique enim per ens constituitur, sed diverso modo: nam quando constituitur substantia concurrunt ens, & perfectitas magis complexe; vnde ens consideratur quasi completum totum potentiale, & quasi completa natura, ex qua, & ex perfectitate tanquam ex differentia quasi completa constituitur substantia quasi in ultima perfectione, & complemento; at vero quando ens constituitur perfectitate, consideratur non vt natura completa, aut vt totum potentiale, sed potius vt simplicissima ratio transcendens, & sic perfectitas constituitur per ens, quasi magis simplex ratio, quam substantia; vnde ex ipsa perfectitate constituta per ens tanquam per prædicatum simplicissimum transcendens, & ex ipso ente per modum naturæ rationalis, aut per modum cuiusdam totius potentialis, constituitur

Quæst. Vltima, vtrum ens præscindatur. 197

constituitur substantia quasi magis completa quam perfectas; & magis complexa. Explicatur amplius exemplo sumpto ex divinis, nam divinitas quæ transcendit relationes, constituit, & personam, & ipsam relationem, relationem simplicissime per modum prædicati transcendentis, personam autem per modum naturæ completæ: unde nostro modo intelligendi magis complexæ constituitur persona per divinitatem quam personalitas, & ideo ex relatione seu personalitate constituta per divinitatem simplicissime per modum prædicati transcendentis, & ex ipsa divinitate tanquam ex natura completa constituitur tota persona completa, quæ magis complexa, & magis completa nostro modo intelligendi concipitur; sicut quoad modum significandi, quam personalitas.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta Adversariorum solvuntur.

- 65 Ad primum primæ sententiæ respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam absolute, ad hoc enim ut detur vera contrahio non est necesse quod ratio contrahens sit non ens absolute, sed sufficit quod sit aliqua formalitas entis actu non contenta in ente ut sic v.g. perfectas.
- 66 Ad secundum respondetur concedendo maiorem, & negando minorem.
- 67 Ad primum argumentum secundæ sententiæ constatur ex exemplis, respondemus confirmare nostram secundam partem conclusionis, & ideo illam eisdem exemplis comprobabimus: bicubitum enim ex parte ipsius non potest præscindi à quanto, & ex hac parte potest dici quod non addat aliquid supra quantum, sed solum maiorem expressionem (dixi potest dici, quia multi negant rationem bicubiti non addere aliquid supra ipsum quantum adhuc ex parte ipsius) quantum vero optime præscinditur à bicubito ex parte sui, quia cognoscitur in tricubito sine bicubito, & e contra, & sic ex parte sui additur in bicubito aliqua formalitas quæ actu non est in quanto ut sic.
- 68 Ad secundum argumentum respondetur negando, illo modo defendendi quæstionem, aliquem à difficultatibus se posse expedire, imo necessarium esse maioribus implicari, ut probatum manet secundæ nostræ conclusioni.
- 69 Ad tertium respondemus quod licet salvetur ex illa parte illa difficultas, salvatur tamen illa supposito modo, maiores secum difficultates compatiente, quæ omnes nostro modo facile solvantur.
- 70 Ad ultimum respondeo negando quod non occurrat difficultas aliqua, cum pateat ex nostra secundæ conclusionis quot, & quam graves difficultates emergant contra illum modum absolutum defendendi quæstionem Adversariorum.

QVÆST. VLTIMA.

Vtrum ens præscindatur, & distinguatur ex natura rei ab inferioribus, Deo videlicet, & creatura, & à differentiis eorum.

SECTIO I.

Sententia adversaria proponitur.

PRIMA sententia est omnium Scotistarum assentientium ens distingui, & præscindi ex natura rei formaliter à differentiis Dei, & creaturarum.

Probatum primo hæc sententia, quia impossibile est ut eadem res secundum idem conveniat cum alia, & ab ea differat realiter: sed Deus à parte rei convenit cum creatura in esse entis, & differt ab eadem per differentiam increati & divini: ergo ratio entis in Deo, & ratio divini, aut increati non sunt idem à parte rei, sed potius à parte rei differunt formaliter aut distinguuntur ex natura rei. Maior est certa, quia convenire, & differre aut mediate, aut immediate, involunt contradictionem; sed in eodem respectu eiusdem neque mediata, neque immediata contradictio potest verificari: ergo eadem res secundum idem non potest convenire cum alia, & ab ea differre realiter; minor est certa, quia de homine non potest verificari quod sit non homo, aut quod sit equus; primum propter immediatam contradictionem, secundum propter mediatam: ergo in eodem respectu eiusdem non possunt verificari illo modo duæ contradictorie sive mediate sive immediate: minor prima, & præcipua est certa, & adest ex supradictis.

Declaratur hoc amplius, in substantia respectu entis ut sic, quia si in substantia ratio substantiæ, & entis est omnino eadem: ergo quidquid est de essentia substantiæ, est de essentia entis, alioqui differunt essentialiter; nam quocumque addito, vel ablato mutatur essentia, si autem differunt essentialiter: ergo in re ipsa habent distinctionem aliquam; nam essentialis ratio in re ipsa consistit, si autem quidquid est de essentia substantiæ est de essentia entis, sequitur, & rationem substantiæ reperiri in accidenti cum quo convenit in ratione entis, & non reperiri, quia revera accidens non est substantia, sed dissimile substantiæ; sequitur etiam substantiam esse similem accidenti in ratione entis, & non esse similem in eadem ratione; esse similem, quia hoc supponitur, non esse similem, quia ratio entis in substantia non est eiusdem modi cum ratione entis in accidenti.

Confirmatur, quia illa quæ habent distinctas definitiones, sunt distincta ex natura rei; sed ratio entis, & ratio creati vel increati habent distinctas definitiones; nam ratio entis est quæ potest existere; ratio increati quæ est independens ab alio, ratio creati quæ dependet essentialiter: hæc autem sunt definitiones distinctæ: ergo. Maior sic patet, quia definitio conformatur cum obiecto

BB 3 seu